



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Theologia Polemica

Burghaber, Adam

Fribvrgi Helvetiorvm, 1678

LXXIII. De Sacra Communione Eucharistiæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72462](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72462)

meus in Theologia venerandus in Lib. cont. Jacob Reihing Apollatam Disp. 6. de Transubstant.

XVIII. *Error secundus.* Christus in Eucharistia nec per actionem adductivam nec productivam præseus esse potest. Ita iidem Sacramentarij, è quibus Amesius tomo 3. fol. 131. distinctionem hanc vocat *ineptissimum signum Scholasticorum.* Probant de actione productiva, quam supra §. X. asserimus. Tum quia esse Christi Sacramentale pendet à præsentia ejus naturali & quantitativa, quam in cælis habet; quomodo ergo actio ista ex se vim habere potest ad producendum Christi corpus, etiamsi alibi non existeret. Tum quia nulla actio pendere potest effectivè à suo termino; quod tamen fieret in proposito. Tum quia sic Christus, dum desinit in Sacramento, etiam in seipso substantiali quadam corruptione desineret, quod nec ipsi Pontificij volunt. Probant etiam de actione adductiva. Si per Transubstantiationem non producitur verè Corpus Christi, tum terminus ad quem non est substantia vel Corpus, sed accidens vel præsentia Christi. Ergo respectu termini ad quem hoc ipso non est Transubstantiatio.

XIX. *Error iste ex ipsa veritate præsentiaæ Corporis Christi clarè rejicitur.* Si enim in Eucharistia Corpus Christi sub speciebus panis verè ac realiter præsens est, vel per productionem vel adductionem præsens esse debet; aliàs sub iisdem speciebus manebit panis, cum nihil adveniat, à quo ob impossibilitatem extrudatur; nec advenire aliquid possit nisi vel per productionem, vel per adductionem. Eidem adversantur SS. Patres; quomodo enim corpus Christi usque hodie in Eucharistia creatur, ex pane fit, efficitur &c. ut isti affirmant, si non vel producatur, vel adducatur? certè ab orbe condito nulla unquam res corporalis demonstrari alieubi potuit, nisi vel per productionem ibidem fuerit. Amesius ignorantiam suam nimis ostendit, quando ait, *conversionis vel conservativæ vel adductivæ, qualem Pontificij Doctores asserunt, nullum unquam exemplum à condito orbe vel naturale vel supernaturale fuisse, neque esse posse.* Nam quidquid jam fecerit tempore antiquo DEUS, cur in novo Testamento, in quo memoriam fecit mirabilium suorum, & escam dedit inmentibus se. Psal. 110. v. 4. cur, inquam, talem conversionem per actionem sive productivam, sive adductivam facere nequeat? certè probationes adductæ nihil prorsus evincunt.

XX. *Respon. ad 1. distinguendo;* pendet ab illo intrinsicè & subiectivè, negatur: extrinsicè & efficienter, conceditur, quod proposito nostro nihil obstat; quia hæc eadem actio esse posset Deo etiamsi juxta hujus ordinationem corpus Christi nullo modo præsupponeretur; quod si esset, utique actio illa DEI non careret suo formali & intrinsicè termino. Ad 2. iterum distinguendo; nulla actio pendere potest à suo termino quoad primam productionem, conceditur: quoad reproductionem seu conservationem, negatur. Nam licet nulla res possit dare sibi primum esse, potest tamen, postquam semel producta est, & esse primum aliunde accepit, seipsam denuo novà actione per modum instrumenti supernaturalis quodammodo reproducere, ita ut terminus illius actionis formaliter sit eadem res novo quodam modo à seipsa dependens; quia eo ipso, quod jam supponatur esse, absurdum non est, à seipsa con-

servari, cum tamen antequam fiat, nullo modo supponatur esse, adeoque efficere seipsam nequeat. Non obstat D. Thomas 1. part. q. 104. art. 2. ad 2. ajens, non posse fieri, ut res aliqua seipsam conserveat; loquitur enim solum de causa principali conservante, quæ videlicet conserveat per modum causæ propriæ ipsius rei, ut ex textu patet. Urgent Sectarij omne producens distinguitur à producto, ut videmus etiam in divinis ubi distinguitur Filius à Patre, Respon. concedendo de producente Principali: negando de instrumentali, quod licet idem sit cum producto materialiter, formaliter tamen per diversas actiones, à quibus dependet, sufficienter adhuc ab eodem distinguitur. In divina productione Filij nulla intervenit nec intervenire potest causa instrumentalis elevara à Principali, ideo nihil inde contra nos. Ad 3. quemadmodum corpus Christi, dum in Eucharistia incipit esse, non de novo producitur, sed conservatur, ita etiam, dum in Sacramento esse definit, non simpliciter corrumpitur, cum alibi existens permaneat, sed solum substantiali conservatione non amplius hic conservatur, amissa substantiali dependentiâ, quam ratione consecrationis acquisivit. Quoad probationem, quod in conversione substantiali Actio esse nequeat adductiva, Bellarminus & alij, qui hanc sententiam tenent, haud difficultè eandem contra Amesium tuentur, negando, ad Transubstantiationem necessariò requiri, ut per ipsam aliquid substantialiter producatur; etenim esse terminum, in quem fit conversio, non est per illam producti, sed esse rem, cujus adventu & præsentia res alia corrumpatur. Sufficit igitur, ut substantia convertatur in substantiam sive talis substantia producatur de novo, sive non, ut fusè & eruditè novissime defendit Joannes de Dicastillo Disp. 4. cit. quem Amesius Gerhardus, Molinæus & cæteri Novopossunt videre & prius addiscere sententias scholasticas, quam eadem ineptè oppugnet.

CONTROVERS. LXXII.

DE SACRÆ COMMUNIONE Eucharistiaæ.

REalem sacrae Eucharistiaæ perceptionem vocamus hic Communionem, de qua celebris valde præsens est controversia, ac nescio, an quoad plebem ulla plausibilior, quæ à centum annis cum exorta Lutheri hæres agitata & innumeris fere Scriptorum catholicorum libris discussa decisaque fuit. Quia tamen Sectarij pro genio suo pertinaci non acquiescunt, sed alia ex alijs contra eam movent, nobis quoque hic omittenda non est visa. Breviter igitur, ac validè illorum errores detegemus & rejiciemus.

PARS PRIOR.

DOCTRINÆ CATHOLICORUM.

I. *Doctrina prima.* Christus Dominus realem Eucharistiaæ perceptionem præcepit Fidelibus

delibus, atque adeo extat præceptum divinum
 comunions. Ita communiter Catholici Doctores
 contra nonnullos, qui apud Dianam P. 9. Tr. 6.
 Res. 46. negant, illum existere præceptum de
 Eucharistia sumenda. Pro doctrina nostra duo
 maximè loca afferuntur, è quibus innoscit nobis
 voluntas Dei, ex qua unice desumenda est proba-
 tio hujus præcepti. Primus locus est Joan. 6. v. 54.
*Nisi manducaveritis carnem Filij hominis, & biberitis ejus
 sanguinem non habebitis vitam in vobis;* quæ verba Patres
 de Sacramentali comunione communiter interpre-
 tantur, & adjuncta pœna pendendæ gratiæ satis ar-
 guit vim præcepti mortaliter obligantis. Alter
 est Luc. 22. v. 19. *Hoc facite in meam commemorati-
 onem;* ubi non solis Sacerdotibus præcipitur, ut
 consecrent & sumant, sed etiam Laicis, ut com-
 municent, teste Apostolo 1. Cor. 11. v. 24. ubi a-
 gens de comunione Laicorum hoc præceptum
 Christi adducit, quod proinde juxta diversa
 membra & actiones ad varios homines pro cu-
 julque conditione & statu refertur. Unde Tri-
 dentinum Sess. 13. c. 2. ad eadem verba Lucæ re-
 spiciens ait, *Christum in Eucharistia sumptione nos colere
 su memoriam præcepisse, suamque annunciare mortem,
 donec ad judicandum venerit.* Neque dici potest à Ca-
 jetano hic 3. part. q. 80. art. 11. Christum non præ-
 cepisse Eucharistiæ sumptionem, sed tantum mo-
 dum sumptionis, hoc est, si sumeremus, ut id in
 memoriam Christi faceremus. Nam contra est,
 quod Christus aliam suæ passionis commemora-
 tionem ibi non præceperit, quam ipsammet con-
 fessionem & sumptionem; alioquin si plus præ-
 cepisset, teneremur ibi sub mortali inter com-
 municandum actualem memoriam passionis ha-
 bere, quod nemo docuit, teste Arriagâ Disp. 47.
 Sect. 1. Hinc tamen conijcitur, doctrinam no-
 stram non esse de fide, quia verba etiam Joannis
 multi Patres & Doctores non de reali perceptio-
 ne hujus Sacramenti, sed de Spirituali manda-
 tatione per fidem interpretantur, quos Ecclesia
 noluit damnare, sed liberam reliquit interpre-
 tandi potestatem; sic enim loquitur Tridentinum
 Sess. 21. cap. 1. *Neque ex sermone illo apud Joan. 6. re-
 vè colligitur utriusque speciei comunionem à Domino
 præceptam esse, utriusque juxta varias SS. Patrum & Do-
 ctorum interpretationes intelligatur.*

II. *Doctrina secunda.* Accidentales circumstan-
 tiæ comunions quoad Personas, Tempus, &
 modum communicandi Christum noluit deter-
 minare prævidens scilicet innumeras mutationes
 pro temporum ac locorum varietate faciendas,
 sed hanc determinationem Ecclesiæ reliquit, sal-
 vâ tamen essentiâ à se institutâ. Sumitur ex 1. Co-
 rinth. 4. v. 1. ubi Apostolus ait: *sic nos existimet ho-
 mo ut Ministros Christi & dispensatores mysteriorum DEI,*
 hoc est, divinæ doctrinæ simul & Sacramento-
 rum. Quæ verba repetens, iisque innitens Con-
 cilium Tridentinum Sess. 21. cap. 2. de Ecclesiæ po-
 testate circa dispensationem Sacramenti Eucha-
 ristici sic loquitur: *Præterea, declarat, hanc potesta-
 tem in Ecclesia perpetuè fuisse, ut in Sacramentorum di-
 spensatione salvâ illorum substantiâ eâ statueret vel mu-
 taret, quæ suscipientium utilitati seu ipsorum Sacramen-
 torum venerationi pro rerum, temporum, & locorum ve-
 ritate magis expedire judicaret. Id autem Apostolus non
 obscure inuisse videtur, cum ait: sic nos existimet homo,
 ut Ministros Christi & Dispensatores mysteriorum DEI.
 Atque ipsum quidem hanc potestatem usum esse, constat satis
 cum in multis alijs tum in hoc ipso Sacramento, cum or-*

*dinatio nonnullis circa ejus usum, cætera inquit, cum ve-
 nero, disponam 1. Corinth. 11. v. 34. Quare agnoscens San-
 ctæ Mater Ecclesiæ hanc suam in administratione Sacramen-
 torum auctoritatem &c. Et hinc tamen antiqua, quam
 in moderna Ecclesiâ fuit orta varietas comuni-
 onis, ut in sequentibus declarabitur 1. quoad Per-
 sonas. 2. quod Tempus. 3. quod Modum.*

III. *Doctrina tertia.* Quantum ad Personas at-
 tinet, magna est diversitas antiquæ & præsentis
 consuetudinis. Nam olim etiam Infantibus da-
 batur Eucharistia, ut testantur PP. Dionysius
 Areopagita de cœlest. Hierarch. c. 7. Clemens
 Romanus Lib. 1. Constit. Apostolic. c. 2. Cypria-
 nus Serm. 5. de lapsis, ubi affirmat, hostiam in-
 fantibus (id ipsum de morituris nonnullis tra-
 dunt alij) non tradi solitam, quam difficulter de-
 glutivissent, sed tantum speciem vini, quam in-
 star lactis fugebant. Faretur & Tridentinum Sess.
 21. c. 4. illam antiquæ Ecclesiæ consuetudinem
 communicandi parvulos; quia verò experientia
 docuit, in hac parvulorum comunione pluri-
 mas irreverentias Christo illatas per vomitum
 vel sputa, & ideo Ecclesiâ majorem honoris Chri-
 sti, quam parvulorum utilitatis rationem haberi-
 dam existimans prædictam infantium commu-
 nionem abrogavit; quod consuetudine potius
 compertum, quam lege; licet enim Concilium
 Lateranense relatam c. 12. de Pœn. & Remiss. ju-
 beat omnes semel in anno communicare, quam-
 primum ad annos discretionis devenierint, tamen
 non excludit Infantes à licentia, sed tantum à præ-
 cepto communicandi, & Tridentinum c. 4. cit.
 solum docet, *parvulos usu rationis carentes nullâ ne-
 cessitate obligatos ad Sacra Eucharistiæ comunionem.*
 Unde non sequitur, illis interdictam esse com-
 unionem, & communis sententia Theologo-
 rum agnoscit, eosdem capaces validæ & fructuosæ
 comunions, sed universalis consuetudo pro-
 hibet ob periculum, ut diximus, irreverentiæ;
 quod Sacramento huic paulatim magis in cum-
 bebatur. Olim quoque Ecclesiâ quibusdam adultis
 graviorum peccatorum reis scilicet. Apostatis & ex-
 communicatis comunionem in perpetuum in-
 hibuit etiam post penitentiam; & in articulo
 mortis, ut constat ex Concilio Eliberitano can.
 1. 2. & 3. qui rigor hodie communi usu mitigatus
 est, ut quibuscumque peccatoribus penitentibus
 saltem in articulo mortis præbeatur Eucharistia;
 Clericis etiam olim in pœnam gravis delicti da-
 batur Laica comunio sub una specie subtrahen-
 do Clericalem, quæ sub utraque specie dabatur;
 cujus comunions Laicæ frequens est mentio in
 decretis Pontificum & Concil. apud Bellarmin.
 Lib. 4. de Eucharistia c. 24. qui videri potest.

IV. *Doctrina quarta.* Circa tempus comunio-
 nis varia quoque fuit dispositio Ecclesiæ. Expli-
 catur. In primitiva Ecclesiâ omnes Fideles quo-
 tidie communicabant, ut indicatur Actor. 2.
 v. 42. *Erant perseverantes unanimiter in doctrina Apo-
 stolorum & communicatione fractionis panis,* hoc est,
 Eucharistiæ, ut Syrus vertit, & ex hæreticis etiâ
 Tremelius, Chemnitius, Osiander, estque com-
 munis expositio Patrum; quamvis id non factum
 fuisse ex præcepto Apostolorum, sed spontaneâ
 Fidelium devotione, credibilis sit. Afferunt qui-
 dem ex Canonibus Apostolorum capitulâ 62. dist. 1.
 de consecrat. ubi jubentur puniri, qui non perci-
 piunt comunionem, sed id vitiosè versum est ex
 græco textu, qui habet: qui non permanent us-
 que ad

que ad communionem Sacerdotis, id est, ad finem Missæ. Et cap. 59. ead. Dist. de consecrat ex Epistol. Anicleti Papæ sumptum: *per actum consecratione communicant*, intelligi debet de solis Clericis sacro ministrantibus, ut ex antecedenti patet. Paulatim verò tepescente fervore, & Fidelium numero crescente Fabianus Papa relatus à Gratiano in cap. 16. etiam si non frequentius, de consecrat. Dist. 2. circa annum Christianum 250. statuit, *ter in anno suscipi debere Eucharistiam, nempe in Natali Domini, in Paschate, & in Pentecoste*. Cum autem refraxisset Charitas multorum, & hæc trina communicatio multis difficilis videretur, tandem Innocentius III. in cap. utriusque sexus de penit. & remiss. ob causas ibidem enarratas decrevit, *semel in anno scil. Paschatis tempore Eucharistiam sumendam esse*. Quod postea confirmavit Concilium Tridentinum Sess. 13. can. 9. Interim optans & cupiens Fideles suaviter induci ad frequentiore communionem. Nam Sess. 13. cit. cap. 8. ait, *paterno affectu monet sacra Synodus, hortatur, urget, & obsecrat per viscera misericordie DEI nostri, ut omnes & singuli, qui Christiano nomine censentur, panem illum Super substantialem frequentius suscipere possint*. Et Sess. 22. cap. 6. optaret sacra Synodus, *ut in singulis missis Fideles astantes non solum spirituali affectu, verum etiam Sacramentali Eucharistia perceptione communicarent, quò ad eos Sanctissimi huius Sacrificij fructus uberiores pervenirent*. In qua tamen Communionis frequentia prudens moderatio servanda est. Universalis etiam consuetudine Ecclesiæ receptum est, ut Laicis non liceat uno die sæpius quam semel communicare etiam die Nativitatis, ubi Sacerdotes ter celebrantes ter communicant.

V. *Doctrina quinta*. Quoad modum communicandi. Christus liberum etiam reliquit Ecclesiæ extra Sacrificium Missæ sub unius aut alterius etiam speciei communionem concedere. Hæc doctrina desumitur ex praxi Ecclesiæ, quæ pro temporum varietate varia fuit. Nam in primis ipse Christus Luc. 24. v. 30. duobus discipulis euntibus in Emmaus unam tantum speciem panis præbuit; Christum autem hic consecrasse tradunt Augustinus, Chrysostomus, Theophylactus, Beda & alij Patres & Doctores apud Tironum & Commentatores huius loci. Utcunque etiam explicatio illius textus se habeat, saltem Patres illi censuerunt, unam speciem non esse prohibitam jure divino, secus ac Sectarij docent. Deinde in primitiva Ecclesia frequens fuit unius speciei perceptio. Eam ex usu ipsorum Apostolorum asserit Lucas Actor. 2. cit. v. 42. *Erant autem perseverantes in doctrina Apostolorum & communicatione fractionis panis*. Item c. 20. v. 7. *una autem Sabbathi cum convenissemus ad frangendum panem, Paulus disputabat cum eis*. Utroque loco agi de pane eucharistico etiam Adversarij non pauci admittunt, quos inter ipse Lutherus, Kemnitius, Calvinus, Beza &c. neutro autem loco fit mentio calicis. De infantibus olim sub sola specie vini communicatis diximus supra doct. 2. Et pro ægrotantibus unica species asservabatur; unde in Orientis & Occidentis Ecclesijs pastophoria & tabernacula eidem aservandæ fuerunt fabricata, qualia per Germaniam in omnibus fere templis reperiuntur tam antiqua, quam ipsa Christiana Religio est. Tempore quoque persecutionis unica species domum deferenda singulis dabatur, ut in necessitate ultimum viaticum in promptu haberent, uti constat ex Concilio An-

tisiodorensi can. 36. & 39. Navigantes etiam sicum habebant unicum speciem pro subitis periculis naufragantium. Et Eremitæ in solitudine habitantes, ac rarò in urbem venientes unicum speciem in suis cellulis pro sacra communionem habebant, sicuti ex D. Basilio probat Baronius in notis Martyrologij 15. Augusti. Hactenus ergo libera fuit utriusque speciei communicatio. Petrus Molinæus fol. 117. contra ejusmodi instantias asserit Concilium Laodicense can. 14. prohibens, ne Eucharistia in locos distantes vel mittatur, vel portari concedatur. Ad infirmitatem vel nequitiam hujus Calvinistæ detegendam adverte ex Baronio A. C. 373. n. 49. apud primos Christianos fuisse solitos Episcopos benedicere panes à Sacerdotibus & populo oblatos & fermentatos, ac certis diebus mittere ad parachianos in signum unionis in fide & charitate inter ipsos & Episcopum. Unde fermentum Eulogiæ dicebantur panes illi. Contra has igitur eulogias agit canon, nolens deinceps illas dividi, eò quod propter eas, utut alias laudabiles, sacra Paschalis Eucharistia communicatio negligeretur. Videatur Forer in Pap. antiq. L. 7. fol. 441.

VI. Porro circa annum Domini 492. à Gelasio Papa Romanis aliquamdiu præcepta fuit utriusque speciei communicatio ad dignoscendos hæreticos Manichæos, qui inter Catholicos cum magna fidei pernicie latebant, & una cum illis communicabant, sed tantum sub una specie; quia vinum tanquam creaturam diabolicam, & fel draconis abominabantur, & sic deprehendi poterant, si nollent utramque speciem fumere. Sublatis autem Manichæis rursus introducta libertas unius vel utriusque speciei pro libitu, Imò Gelasius mandatum suum non ad omnes omnino casus extendit. Tandem in Concilio Constantiensi ante annos 238. sub Martino V. Laicis & Clericis non sacrificantes interdicta est utriusque speciei communicatio, quod decretum approbavit & confirmavit Concilium Sess. 21. can. 2. his verbis: *Siqui dixerit, Sanctam Ecclesiam Catholicam non iustus causas & rationibus adductam fuisse, ut Laicos atque etiam Clericos non sacrificantes sub panis tantummodo specie communicaret, atque in eo errasse, anathema sit*. Causæ autem potissimum hæc tres fuerunt. 1. multiplex irreverentia, quæ Christo in dispensatione Calicis per effusionem & conculationem inferebatur, nec commode caveri poterat, ut apparet apud hæreticos in calicis distributione. 2. Inopia vini in multis regionibus præsertim septentrionalibus & Indicijs, ubi pro tanta multitudine fidelium toties communicantium satis vini haberi non potest. 3. Errores hæreticorum paulatim irrepentes, dum non pauci existimarent, in una specie non esse totum Christum, vel utriusque speciei sumptionem à Christo fuisse præceptam; ad quos errores tollendos, veræque Fidei professionem publice edendam iussit Ecclesia unicum communicantes specie esse contentos. Dixi in doctrina extra sacrificium. Nam Sacerdotes, sacrificantes sub mortali tenentur utramque speciem consecrare & fumere, idque ex divino præcepto Christi; quia ad essentiam huius sacrificij pertinet utraque species, ut infra constabit. Laici verò (quibus in hac re æquiparantur Clerici & ipsi Sacerdotes extra missam communicantes, ut in cœna Domini vel in articulo mortis) nullo DEI præcepto obligantur ad utramque speciem, nec etiam Ecclesiastico, sed ad unam solummodo speciem panis, ut diximus.

VII. *Doctrina sexta.* Non pugnat cum mandato Christi communio sub una specie. Hanc doctrinam inter articulos Fidei numerat Tridentinum Sess. 21. c. 1. his verbis: *sancta Synodus à Spiritu Sancto, qui est Spiritus Sapientia & intellectus, Spiritus consilij & pietatis, edocita, atque ipsius Ecclesie iudicium & consuetudinem secuta declarat ac docet, nullo divino præcepto Laicos & Clericos non conscientibus obligari ad Eucharistia Sacramentum sub utraque specie, neque ullo pacto salvâ fide dubitari posse, quin illis alterius speciei communicatio ad salutem sufficiat.* Et can. 1. *Siquis dixerit, ex Dei præcepto vel necessitate salutis omnes & singulos Christi fideles utramque speciem sanctissimi Eucharistia Sacramenti sumere debere, anathema sit.* Probant & confirmant hanc posteriorem doctrinam omnia, quæ pro prioribus attulimus, & utramque pluribus stabilis Bellarm. Lib. 2. de Eucharist. à cap. 2. Et ceteri Mathematicorum communionem sub una specie Epiphanius, Augustinus, alijque Patres nunquam improbarunt aut damnarunt, quod tamen, si contra præceptum divinum fuisset, facere eos oportebat, qui cæteros eorum errores tam acriter pertrinxerunt. Quamvis autem communio sub una specie sufficiat, & sub una specie panis de facto non sacrificantibus ab Ecclesia præcepta sit, nihilominus poterit Papa, si judicaverit expedire vel toti Ecclesie vel certis Nationibus, vel particularibus Personis utriusque speciei usum denuo permittere, sicut Clemens VI. circa annum 1347. Regibus Franciæ de Sede Apostolica optime meritis concessit privilegium, quoriscunque vellent, sub utraque specie communicandi, quo tamen uti non solent, nisi bis in vita, scilicet in die coronationis, & in articulo mortis, ut refert Jacobus Gualtierius in sua chronologia fol. 699. Videantur DD. à Walenburg à fol. 316. ubi ostendunt, communionem sub una specie non esse justam causam separationis Protestantium ab Ecclesia Catholica.

VIII. *Doctrina septima.* Effectus dignæ communionis est magnus & multiplex. *Primo* confert augmentum gratiæ præexistentis; hoc enim indicant verba illa Joan. 6. v. 58. *qui manducat me, & ipse vivet propter me.* Et rursus vers 55. *qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam eternam.* Cum autem nemo vivat propter cibum, accipiendo per illum vivere, sed solum nutriatur jam suppositâ vitâ, aperte hinc sequitur, prædictis verbis non inceptionem vitæ spiritualis, sed vitæ hujus jam ceptæ augmentum significari, ac proinde dari in Eucharistia augmentum gratiæ; & quia Eucharistia est omnium dignissimum Sacramentum, ideo verosimile apparet, unicâ communionem plus gratiæ acquiri, quàm longâ laboriosa & periculosa peregrinatione. *Secundo* præbet jus ad actualem gratiam opportuno tempore conferendam pro vitandis peccatis, superandis tentationibus, & gratia conservanda, atque idcirco sub speciebus panis & vini institutum fuit. Nam sicut eibus & potus non sumitur ad vitam primò & per se consequendam, sed conservandam ac roborandam, ita hoc Sacramentum non est institutum ad primò conferendam gratiam justificationis (sicut baptisimus & penitentia) sed ad justitiam præhabitam conservandam & augendam, ut diximus. *Tertio* subinde tamen Eucharistia per accidens primam gratiam confert; nimirum si quis ignarus peccati mortalis de omnibus suis peccatis saltem attri-

tus bonâ fide communicet; si autem in ipso actu communionis desit attritio, differtur effectus justificationis, donec superveniat attritio. Ita cum pluribus Theologis Arriaga de Sacramentis in communi Disp. 16. Sect. 1. Probatur ex Tridentino, quod Sess. 13. can. 5. contra hæreticos definit, *præceptum Eucharistia effectum non esse remissionem peccatorum.* Ergo tacite innuit, remissionem peccatorum (mortalium) esse quidem effectum illius Sacramenti, non tamen primarium. Confirmatur. Christus per Sacramenta voluit nobis faciliorem reddere salutem. Ergo cum perdifficile sit, pertingere ad contritionem, & sæpe hominem fallat persuasio, congruum videtur, ita instituta esse Sacramenta, ut quando quis prudenter reputat, se fecisse, quod est in se, licet non habeat perfectam contritionem, defectus iste per Sacramenta suppleatur, & prima gratia, quâ salutem obtineat, per illa producat. Unde præcipuum ruit Adversariorum fundamentum, quod nullus effectus tribuendus sit Sacramentis, quâ non colligatur ex institutione eorum, aut à Concilijs, & Patribus tradatur. *Quarto*. In corpore Communicantis Eucharistia semper minuit fomitem peccati, hoc est, naturalem inclinationem appetitus sensitivi ad objecta per se mala, non quidem intrinsecè imprimendo aliquam qualitatem coercitivam concupiscentiæ, sed extrinsecè partim removendo tentationes, & occasiones peccandi, partim subministrando auxilia gratiæ ad remittendum. *Quinto*. Ex reali contactu & ingressu Corporis Christi in corpus comunicantis oritur quasi conjugalis amicitia inter Christum & animam, & jus ad resurrectionem, ut testantur SS. Patres, è quibus Laurentius Justinianus de triumphali Christi agone ait, *pro amoris pignore, proque federe maritali corporis & sanguinis sui Sacramenta concessit, ut non solum in spiritu, verum etiam duo essent in carne una &c.*

IX. Restat questio, utrum utraque species in hoc Sacramento majorem gratiam conferat, quàm una sola; quæ quidem questio ad forum Scholasticum spectat; quia tamè Sectarij magni nobis *pro amicitia* furtime crimen intentant ex substracto calice Laicis, nec violari tantum præcepti divini, sed spoliari reos faciunt catholicos privando Communicantes majore illa gratiâ & utilitate ex utraque quàm una specie, idcirco illam hinc non omittendam censeo, ut inde etiam inanis hæreticorum querela manifesta fiat. Affirmant igitur ex utraque parte plus gratiæ conferri Vasquez in 3. part. Disp. 215. cap. 2. Gaspar Hurtadus de Eucharistia Disp. 10. Difficult. 6. Cardin. Lugo. Disp. 12. n. 68. & nonnulli alij. Moventur. Tum auctoritate Clementis VI. Papæ, qui, ut supra indicavimus, Regi Galliæ permisit communionem sub utraque specie ob gratiæ augmentum. Tum ex communi sensu Patrum Tridentini Concilij in hanc sententiam propensorum, ut ex Franc. Blanc. refert Lugo loc. cit. n. 69. Tum quia Sacramenta operantur, ut significant, utpote habentia causalitatem ex significatione Atqui species panis & vini habent diversas significationes. Ergo &c. Tum quia calix aliàs raro aut nunquam conferet gratiam. Negant D. Thomas 3. part. Q. 80. art. 12. ad 3. Et opusculo 58. c. 29. Richardus, Cajetanus, uterque Scotus, Rossensis, Salmeron, Sylvius, Abulensis, Toletus, Catharinus, Palladius, Suarez Disp. 63. c. 6. Bellarminus

larminus Lib. 4. c. 23. & post alios multos Mart. Esparza Quæst. 69. quorum sententiam probabiliorē cenemus. Itaque sit.

X. *Doctrina octava.* Utraque species in hoc Sacramento non confert majorem gratiam, quam una sola. Hic planè communis semper fuit in Ecclesia sensus. Probatur 1. ex Tridentino, quod Sess. 21. cap. 3. sic loquitur: *Fatendum est, etiam sub alterutra tantum specie totum atque integrum Christum, verumque Sacramentum sumi, ac propterea, quod ad fructum auinet, nullā gratiā necessariā ad salutem eos defraudari, qui unam solam speciem accipiunt.* In quibus verbis licet Concilium primariō inferat, & definiat, necessariam gratiam ad salutem non minùs per unam, quam per utrāque speciem haberi, adeoque hanc gratiā non defraudari Laicos sub una tantum specie communicantes, attamen simul etiam haud obscurè advertitur inferre atq; innuere, totum gratiæ augmentum in hoc Sacramento conferibile haberi per unicam speciem æquè ac per utramque. Nam ratio, quam Tridentinum affert pro priore illa illatione, stat quoque pro hac posteriore; est quippe ista non alia, ut ex verbis allatis constat, quam realis Christi præsentia, quæ unica est mensura omnis gratiæ per hoc Sacramentum conferendæ, & non minùs sub una, quam sub utraque specie continetur, ut bene observat Arriaga Disp. 42. à num. 9. Probatur 2. ex Concilio Moguntino sub Sebastiano can. 32. asserente, morem communicandi sub una specie esse ad salutem æquè utilem & efficacem, atque sub utraque. Et licet Concilium hoc nec generale sit nec à Papa approbatum, magnum tamen pondus addit nostræ doctrinæ, maxime cum Patres illi dicant, à nullo Fidelium ea de re dubitari posse. Probatur 3. Quia per unicam speciem æquè significatur nutritio spiritualis, ac per utramque; quippe differt cibus & potus iste spiritualis multum à cibo & potu corporali, & nec activitatem, nec effectus habent specie distinctos, siquidem sitis & fames spiritualis non distinguuntur realiter inter se, ut bene advertit Esparza. Ergo non plus gratiæ operatur utraque quam una species.

XI. Respon. ad 1. probationem Adversariorum. Papam clementem nihil definire, sed solum dare licentiam: motuum autem illud concessionis non ex decisione, sed ex privata opinione esse desumptum. Addo Pontificem ibi locutū fuisse solum de augmento majore ex opere operantis ob majorem, quam Rex habuit devotionem in utraque specie sumenda. Ad 2. bene ostendi ab Arriaga num. 9. cit. hanc relationem & à veritate & à mente Card. Lugo esse alienam, & per errorem Amanuensis Lugonis in hujus scripta irripisse. Ad 3. cum Esparza distinguendo; operantur sicut significant quoad rem significatam conceditur; quoad modum significandi, negatur. Ex dictis autem constat, cibum & potum Sacramentalem significare eundem realiter effectum cum sola diversitate ex modo significandi. Ad 4. totam gratiam Sacramentalem conferri per se non solum ante sumptionem calicis, sed etiam antequam absoluat rota sumptio specierum panis; siquidem gratia confertur, cum primum sumitur & in stomachum trajicitur minima specierum pars: nec tamen suo destituitur effectu & fructu calix, quia utraque species & utriusque speciei partes constituunt unum simpli-

citer Sacramentum atque convivium spirituale moraliter unum, cum sumptio est moraliter continua, ut rectè citati Authores, qui pluribus hanc nostram doctrinam tuerentur.

PARS POSTERIOR.

ERRORES HAERETICORUM.

XII. *Primus error.* est Hussitarum in Bohemia putantium, infantibus quoque debentur Sacram communionem propter verba Christi Joan. 6. v. 54. *nisi manducaveritis carnem filij hominis & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis*, quod teste Bellarmino Lib. 4. de Euch. c. 24. universim ad omnes Fideles sine exceptione, consequenter etiam ad infantes extenditur, rati, se invenisse locum contra usum & doctrinam Romanæ Ecclesiæ Verum hoc mandatum ad infantes non spectare, jam diximus controversia de Bapt. 68. §. 16. Et clarum est est ex illis verbis: *non habebitis vitam in vobis*, ubi verbum habere non significat primam acquisitionem gratiæ per Baptismum acquirendæ, sed conservationem acquisitæ, ut sensus sit, nisi communicetis, non diu retinebitis gratiam, nec poteritis resistere tentationibus sine auxilio gratiæ per communionem conferendæ, sicut vita corporalis sine cibo & potu diu retineri non potest; ubi enim nullum est periculum gratiæ per peccatum amittendæ, ibi non est communio. Sed apud Infantes nullum est periculum gratiæ per peccatum amittendæ; cum ob defectum rationis peccare non possint. Ergo illis non est necessaria communio; Sicut corpus gloriosum & in corruptibile non eget cibo & potu, quia mori non potest Apoc. 7. v. 16. *non esuriunt, neque sitient amplius &c.*

XIII. *Error secundus.* Omnibus etiam Laicis ex divino præcepto Christi necessaria est utriusque speciei communio. Adscribitur iste error primitus Petro Dresdensi & Jacobello Misnensi, quorum ille ex pædrotiba Germano repente Theologus hunc Pragæ concionatorem in suas traxit partes. Isti duo primum ex illo Joan. 6. v. 54. *nisi manducaveritis carnem filij hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis*, communionem sub utraque specie ad salutem necessariam esse docuerunt, & persuadere coperunt. Hæc nova doctrina ab Hussitis in Bohemia avidè arrepta in tam pertinacem ac funestam statim hæresin excrevit, ut mox ab Ecclesia severissimum remedium opponi debuisset, & in concilio Constantiensi & Basiliensi damnata fuerit. Sic abjectam istam hæresim revocavit Martinus Lutherus Apostata & ex Bohemia in Saxoniam traduxit, quæ simili repente plausu insanæ plebis excepta inde pari volocitate cum reliquis ejusdem hæresibus in diversas Germaniæ partes se penetravit, ubi etiamnum insanè amat & retinetur.

XIV. Congerunt plura argumenta Molinæus à fol. 1173. Hanneken in Irenico à fol. 124. Amelius Tom. 3. à fol. 148. Gerhardus L. 2. Part. 2. à fol. 1046. Et præter alios Novatores Jacob. Reihing apud Simonem Felicem priore contr. §. XVII. citatum in lib. contra Apostatam istum Disp. 7. *Porciæ* ex Scri-

ex Scriptura, Patribus, & ratione sunt ista. 1. Joan. 6. cit: *nisi carnem filij hominis &c.* Ergo si hic agitur de Sacramento Eucharistiæ, ut volunt Papistæ, ad conservandam vitam Spiritualem animæ necessaria est illis utriusque speciei sumptio. 2. ex verbis Christi Matth. 26. v. 28. *Bibite ex hoc omnes.* 3. Lucæ 22. v. 20. *hic est calix novum testamentum;* Unde sic argumentantur Testamentum Christi est immutabile, & ita servari debet ad litteram; sicuti sancitum est, teste Paulo Apostolo ad Galat. 3. v. 15. *tamen hominis confirmatum testamentum nemo spernit.* Sed calix est testamentum juxta cit. verba Lucæ. Ergo est immutabilis, & ita sumendus, sicut ipse instituit. Instituit autem, ut una cum pane omnes fumerent calicem. Ergo ab omnibus sumendus est. 4. Lucæ 22. c. 19. *Hoc facite in meam Commemorationem;* unde sic argumentantur. Faciendum est in omni commemoratione cœnæ, quod in prima cœnâ factum. Sed tum in utraque specie omnes communicabant. Ergo &c. 5. 1. Corinth. 11. v. 23. *Ego autem accepi à Domino;* unde Prædicantes sic ratiocinantur: Paulus nihil tradidit Corinthiis; quod non accepit à Domino. Sed tradidit Corinthiis, utramque speciem ab omnibus Communicantibus esse sumendam. Ergo &c. 6. Christus instituit cœnam sub duplici specie. Ergo sub duplici sumenda est; alioqui tantum: rit pars illius. 7. Gelasius Papa, relatus c. 12. Dist. 2. de consecratione ait: *comperimus, quod quidam sumpti tantum Corporis sacri portione à Calice sacri cruoris se abstineant, qui procul dubio quoniam nescio quâ superstitione docentur obstringi; aut integra Sacramenta percipiant, aut ab integris arceantur, quia divisio unius ejusdemque mysterij sine grandi sacri legio non potest provenire.* 8. Leo Papa serm. 4. Quadrag. de Manichæis ita scribit: *ore indigno Christi corpus accipiunt; sanguinem autem redemptionis nostræ haurire omnino declinant.* 6. Cyprianus in sermone de cœna Domini: *Lex, inquit, esum sanguinis prohibet, Evangelium præcipit, ut bibatur.* 10. Chrylостomus hom. 18. in 2. Corinth. hæc habet: *Est autem, ubi nihil differt Sacerdos à subdito, ut quando fruentium est horrendis mysterijs, similiter enim omnes, ut illa percipiamus, digni habemur. Nam sicut in lege partem quidem Sacerdos comedebat, partem autem populus, & non licebat populo participem esse eorum, quorum participes erant Sacerdos, sed non sic, verum omnibus unum corpus proponitur, & unum poculum.* 11. Concilium Claremontanum an. 1095. præsentente Urbano II. Papa in Gallia celebratum can. 28. ait. *Ne quis vivat de altari, nisi corpus & sanguinem separatim sumat.* 12. Omnes Hebræi 1. Corinth. 10. v. 4. in deserto biberunt aquam de Petra. Ergo etiam omnes Christiani debent bibere de sanguine Christi; quia aqua illa fuit figura hujus sanguinis. 13. Res Sacramenti sunt à Deo determinatæ, ut non liceat quidquam in eis mutare, multo minus ommittere. At verò ad res Sacramenti Eucharistici pertinet, etiam vinum. Ergo nulli licet, in Eucharistia vini distributionem ommittere. 14. Illud Sacramentaliter sub specie panis accipimus, quod vi verborum Christi est Sacramentaliter præsens panis, & vice versâ. At corpus Christi non sanguis est Sacramentaliter panis præsens, quia vi verborum non est in specie panis, nisi corpus. Ergo corpus Christi, & non sanguinem sub specie panis Sacramentaliter accipimus. 15. Consecratio Sacerdoti sub utraque specie est præcepta. Ergo

etiam administratio Sacramenti sub utraque specie faciendâ est Laicis.

XV. Res est admiratione digna, hæreticos adeo ferventer urgere hoc unicum præceptum Christi sumendi calicem. Tum quod eorum Seductor & primipilus Lutherus passim agnoscat, non esse præceptam singulis utramque speciem, & attestetur, se Romanæ Ecclesiæ in alterutra solum accipiendâ nolle obsequi. Nam de Captivit. Babyt. c. de Eucharist. ait: *non hoc ago, ut verapatur utraque species, quasi necessitate præcepti ad hoc cogamur.* Et Epist. ad Bohemos: *quamvis pulchrum quidem esset, utraq; specie in Eucharistia uti: & Christus hac in re nihil tanquam necessarium præcepit, præstaret tamen pacem & unitatem, quam Christus utique præcepit, Sæctarij potius, quam de speciebus contendere.* Nihilominus Tom. 7. Wittenb. fol. 367. pag. 2. de formula Missæ profretur, *se hac in re nolle ab Ecclesia Concilio obstringi; & si hoc permitteret utramque speciem, tunc minime omnium, inquit, nos vellemus utraque specie potiri; imò in respectum tam Concilij quam statuti tum primam vellemus aut alterutram tantum, aut nequaquam utraque potiri.* Tum quod alioquin Sæctarij univèrsim negent, præcepta DEI observari posse aut debere, rati solam fidem sufficere. An Germanos sitis adeo urget? ut quidam Poeta cecinit: *Da Calicem Calicem sitens Germania clamat.* Sed insigniter à DEO puniti fuerunt sitibundi isti hæretici. Nam qui unicâ specie Sacramenti contenti esse noluerunt, jam in utraque specie nec micam Corporis, nec guttam sanguinis Christi percipiunt, quia non habent legitimos Sacerdotes potestate consecrandi præditos, & accidit illis, quod cani æfopico per pontem tranleuti, qui frustum carnis ore tenens majori umbrâ carnis in aqua rivî conspectâ hujus captandæ gratiâ suum frustum dimisit, & simul umbram perdidit. Ita inquam Lutherani dum pertinaciter calicem inclamant, Christum à se propulsant; nec enim quisquam Christum se habere aut retinere arbitretur, qui ejus corporis particeps non est, id est, Ecclesiæ, cujus unitatem in Sacramento panis commendat Apostolus 1. Cor. 10. v. 17. *ajens, unus panis, unum corpus multi sumus.* Argumenta etiam nihil prorsus evincunt.

XVI. Respon. ad 1. ex Joan. 6. In hoc textu particulam *Et sumi copulativè hoc sensu: nisi simul manducaveritis & biberitis.* Ita communissima interpretatio, quâ plenissimè satisfit huic præcepto per sumptionem unius speciei, cum in unica specie simul corpus manducetur, & sanguis bibatur; non enim dixit Christus, nisi manducaveritis meam carnem sub specie panis, & biberitis meum sanguinem sub specie vini, sed nisi utrumque sumperitis, quod fit in unica specie. Nam quandoque sumitur caro sive instar cibi deglutiendo, sive instar potûs bibendo (sicuti ægrotis deglutire non valentibus particula hostiæ in vino præberi solita) verè manducatur caro Christi, & si sumatur sanguis instar cibi v. g. cochleari, nihilominus verè bibitur; quia ad rationem manducationis sufficit qualiscunque modus sumendi cibum, & ad portionem qualiscunque sumptio potûs, cujus exemplum habemus in psal. 68. v. 22. ubi David de Christo prophetavit: *dederunt in escam meam fel,* quod tamen per modum potûs sumpsit. Marthæi 27. v. 84. *Unus militum spongiam implevit aceto, & imposuit arundini, & dedit ei bibere, cui*

tamen aceto fel mixtum erat, & sic unâ comedit fel; ita sanguis Christi hostiæ mixtus rectè dicitur in ea bibi. Aliæ hujus ipsius textûs interpretationes videri possunt apud Maldonatum, Cornelium à Lapide, Tannerum Tom. 4. Disp. 5. Q. 8. à num. 158. & alios, è quibus interpretationibus nullam Adversarij favere, ijdem AA. ostendunt. Ad 2. ex Matth. 26. Nomine omnium tantum intellectos fuisse Apostolos, qui erant præsentés; cum enim Christus panem in varias partes divisisset, & singulis Apostolis singulas dedisset, calix autem eo modo dividi non posset, uni ex Apostolis integrum porrexit cum hac cautione, ut non putaret, totum sibi esse ebibendum, sed aliquid solummodo inde degustandum, ac deinde reliquis ordine porrigendum. Quare verba illa: bibite ex eo omnes, idem valent, quod ista apud S. Lucam 22. v. 7. *accipite, & dividite inter vos*, id est, unus non exhauriat, sed singuli aliquid bibant. Quod & factum est, ut testatur Marcus c. 14. v. 23. *& biberunt ex eo omnes*, illi scilicet quibus à Christo dictum erat, bibite ex eo omnes. Ad 3. ex Luca. Hujus testamenti rationem non consistere in sumptione illius calicis, sed in oculari propositione significante pactum DEI cum hominibus inritum, nempe quod propter passionem & sanguinem Christi velit nobis peccata remittere, vitamque æternam concedere. Alluditur enim hoc verbo testamenti ad ritum veteris Testamenti victimarum sanguine confirmati Exod. 24. v. 8. ubi Moyses sanguine aspersit populum dicens: *hic est sanguis fœderis, quod pepigit vobiscum Dominus*. Quemadmodum igitur vis antiqui testamenti per sanguinem confirmandi nõ consistebat in sumptione, sed in aspersione sacri sanguinis, ita confirmatio novi Testamenti facta est nõ bibendo Christi sanguinem, sed spiritualiter aspergendo per fidem. Ad 4. Si Major universaliter de omni actione & circumstantia ac modo, quæ in cœnæ institutione reperitur, intelligatur, eam esse manifestè falsam; alioquin oporteret semper cœnam assidendo, post lotionem pedum, in fracto & azymo pane &c. sumere. Est igitur mandatum Christi circa formale, non circa quodvis materiale; illud autem est participatio Corporis & sanguinis Christi Sacramentalis; unde evanescunt omnia, quæ hic alij Novatores comminiscantur.

XVII. Ad 5. Minorem illam gratis sine ulla probatione subsumi depræcepto absoluto; nusquam enim Apostolus eam tradidit; imò vers. 27. alternativam sumptionem haud obscure insinuavit. Solum ergo præceptum conditionatum concedi potest, hoc est; si quando biberitis, hoc facietis in memoriam Christi patientis. Ad 6. Si propriè & secundum Evangelium loqui velimus, cœna Domini non constat nisi ex una specie. Nam Matth. 26. v. 26. *cœnantibus illis accepit JESUS panem*. Similiter inquit Lucas 22. v. 20. *& calicem postquam cœnavit*. Et 1. Cor. 11. v. 25. *Similiter & calicem postquam cœnavit*. Itaque in cœna non dedit nisi Eucharistiam sub specie panis, quæ propriè respondet cœnæ Judaicæ, & agno paschali: post cœnam verò dedit calicem. Unde Cyprian. serm. 5. de lapsu dicit, *calicem offerri solere presentibus post solemnia expleta*. Deinde etiam si cœna Domini utraque specie constaret, tamen quia quælibet species continet rem utriusque speciei, tam integra cœna ex una, quàm ex duabus esset; sola enim differentia esset in vasis, quibus inferuntur cibi,

Videri potest Bellarm. Lib. 4. cap. 27. Ad 7. Gelasium Papam tantum locutum fuisse de Sacerdotibus celebrantibus, ut constat ex titulo illi canonis præfixo, qui ita se habet: *Corpus Christi sine ejus sanguine Sacerdos non debet accipere*; quia talis separatio sine Sacrilegio fieri non potest. Sunt etiam, qui putent, illam loqui solum de Manichæis, qui ex superstitione se abstinere à sacro Calice. Videri potest Becanus in Manuali lib. 1. cap. 9. conclus. 5. qui bene advertit, sub Gelasio adhuc remansisse quosdam Manichæos vinum ex abominabili opinione averfantes, quos idcirco Leo ejus antecessor ante 30. annos persecutus fuit, sed omnino eijcere non potuit. Unde Ad 8. Leonem Papam non damnare communionem sub una specie in Catholicis, qui eam legitime tunc usurpabant, sed in Manichæis, qui ex sacrilega superstitione à Calice abstinere, tum quod putarent, vinum esse fel draconis, tum quod negarent, Christum esse verè mortuum, & verum sanguinem effudisse. Ad 9. D. Cyprianum, ut probaret præceptum bibendi calicem, citavit illud Joan. 6. *nisi biberitis &c.* Hoc autem præceptum, ut recens diximus, non requirit utramque speciem, sed manducationem, & bibitionem sanguinis, quæ fieri potest sub una specie panis. Et hoc insinuat S. Pater, dum addit, *panis & cœna ad eandem pertinent rationem*; q. d. idem esse manducare ac bibere Christum, ac proinde satisfieri per unam speciem præcepto Evangelio, de quo ipse loquitur.

XVIII. Ad 10. nullam hic fieri mentionem præcepti sub utraque specie. Nec Chrysostomus disputat ibi de tali præcepto, sed solum assignat differentiam inter veteris ac novæ Legis Sacrificia. Nam in veteri Sacerdos unam Sacrificij partem, populus alteram comedebat; in Nova totum sacrificium, quod ad viaticum attinet & offertur, æquè à populo, atque à Sacerdote participatur, & utriusque totus Christus secundum carnem & sanguinem manducandus & bibendus proponitur, uti omnes facemur, nec aliud vult S. Pater. Quod verò addat: *omnibus vnum corpus proponitur, & poculum unum*, non de speciebus, sed de Carne & sanguine intelligi debet; quippe sensus non est, omnibus tam laicis, quàm Sacerdotibus proponi eandem speciem vini, quia hoc falsum est, cum singuli accipiant partes panis & vini inter se realiter distinctas, sed omnibus proponi eandem Christi carnem & eundem sanguinem, ita ut Sacerdos nihil carnis aut sanguinis percipiat, quod non etiam percipiant Laici. Erit hac re ponit discrimen inter utriusque legis populum & sacerdotem. Ad 11. Concilium Claromontanum non jussisse simpliciter utramque speciem sumi, sed conditionatè, si sumatur utraque species, non unicum, sed seorsim sumendam; quia tunc abusus quidam irrepserat, ut Sacerdotes meru effundendi sanguinis non præberent calicem seorsim, sed hostiam sanguine tinctam contra institutionem Christi. Ad 12. cum Bellarmino Lib. 4. c. 27. Habræos non bibisse aquam de petra simul cum cibo spirituali, sed diverso loco & tempore. Quare tam cibus ille, quàm potus signum fuit Eucharistiæ sub una specie sumendæ. Ad 13. hoc argumentum probare nimium; sic enim abstemij privandi essent Eucharistiæ. Minor itaque falsa est; neque enim vinum est res Sacramenti, imò nec Sacramentum quidem, sed

ejus species unâ cum corpore Christi. Cæterum argumentum hoc est contra Molinæum fol. 1183; ratum, nec vinum nec panem spectare ad essentialiam hujus Sacramenti, & loco horum quemlibet alium potum & cibum adhiberi posse. Quod ipsum sentiunt Calvinus, Beza & plerique Calvinistæ; quibus ad stipulatur Melanchthon permittens Ruthenis mulsam pro vino: Catholici autem omnes tenent: semperque tenuerunt, Christum in institutione Eucharistiæ materiam determinasse, scil. panem & vinum. Unde antiqui Christiani semper pro hæreticis habuere, qui aliud in Eucharistia, quam panem & vinum adhiberent. Videatur S. Thom. 3. p. 9. 74. art. 1. Ad 14. falsum esse majorem in eo sensu, quo illam cudit Joan. Gerhardus hujus argumenti faber. Nam putat illud solum esse præsens, quod vi verborum est præsens; quod negamus, tum etiam per concomitantiam aliquid fieri possit præsens. Quamvis igitur unâ eademque actione formaliter vi verborum non fiat præsens sanguis in consecratione Hostiæ, fit tamen præsens realiter ac concomitanter per eandem actionem, quæ non nisi totum Christum ponit. Hæc eadem distinctione multæ aliæ hæreticorum cavillationes repelluntur, quæ idcirco referre omitimus. Ad 15. & ultimum. Eucharistiæ & Sacramentum & Sacrificium esse; istud necessariò utramque speciem requirere: non illud. Cum igitur Sacerdotes Sacrificium peragant: Laici verò solum Sacramentum sumant; non est ab illis ad hos argumentatio, ut magis infra patebit.

XIX. Hæc de communione sub una specie, quæ omnibus retrò sæculis viguit in Ecclesia Christi. Et licet subinde utraque etiam species daretur, tamen communio sub una specie semper simul permansit apud infirmos, & abstemios &c. item licet subinde alibi sub una, alibi sub utraque specie daretur communio, ex hoc tamen nulla inter Ecclesias orta fuit lis, nulla inter Episcopos dissensio, nulla partis alterius condemnatio; nullum schisma; nulla hæresis; quia scil. Ecclesiæ Pastores & Doctores optimè intellexerunt, nihil hic agi contra institutionem Christi, nihil contra præceptum divinum, sed id cuique Ecclesiæ liberum relinqui. Unde mirum sanè, siquid hic erroris & fraudis in subtrahendo Calice contra divinum præceptum intervenisset, id à nullo Concilio, à nullo Episcopo, à nullo unquam Doctore animadvertum fuisse, aut Ecclesiam tam diu à Spiritu Sancto desertam peccitasse! Hæc profectò talis est consideratio, ut cuilibet viro prudenti & suæ salutis cupido sitim calicis extingere, & unâ contentum specie à Sectarijs ad Catholicos, ac veram istorum Ecclesiam (in qua sola verissima habentur Sacramenta) reducere juremeritissimo possit.

CONTROVERS. LXXIII.

DE SACRIFICIO MISSÆ.

Sacrificia inter Fideles in Lege Naturæ æquè Sac Moysaica; imò inter Infideles semper fuerunt usitata, præsertim mactationes pecorum; quia iste honor ac cultus videbatur hominibus summus, quem in hac vita divinæ Majestati ex-

hibere possent. Sed quid honoris aut commodi percipere DEUS potuit ex mactatione pecorum? nunquid odit illa & exterminari voluit? non. Diligit DEUS omnia quæ sunt, & nihil odit eorum, quæ fecit Sap. 11. v. 25. an delectabatur odore holocaustorum? non. Quæ enim delectatio ex combustione cadaverum hauriri queat? an carne eorum vesci cupivit? non. Nunquid manducabo carnes taurorum aut sanguinem hircorum potabo? Psal. 4. v. 13. Pro dubitationis hujus & Sacrificij explanatione.

PARS PRIOR.

DOCTRINÆ CATHOLICORUM.

I. **D**octrina. prima. Sacrificium in Sac. Scriptura dupliciter sumitur. Primo. latè & improprie pro omni opere bono, quod instar Sacrificij. DEUM placat & conciliat; quomodo sumitur Psal. 4. v. 6. *Sacrificate Sacrificium justitiæ.* Secundo. strictè & proprie pro certo quodam cultu externo, & quidem in genere oblationis & signi facri, quem cultum DEO tanquam rerum omnium principio ac supremo Domino exhibemus, & sequentia concurrere ad illum debent. 1. materia quædam externa DEO offerenda, ut taurus vitulus &c. 2. intentio & voluntas DEUM hoc cultu venerandi. 3. obligatio ejus verbalis aut ceremonialis, quæ significatur in honorem Dei agi. 4. immutatio rei oblatae, ut occisio, combustio, effusio. 5. significatio tali immutationi legitime imposita; nimirum Omnipotentia, Excellentia Dei, cui jus & fas sit, omnia destruere, cum dederit omnibus esse, & omnia conservet, alioquin mox in nihilum suum ruitura: & in cujus honorem nos vitamque nostram offerre vellemus; si ita oporteret. Ex his *Intentio cultus divini* est omnino necessaria, utpote sine qua ritus externus mactandi bovem lanienæ potius, quam sacrificij habet imaginem. *Materia externa* est etiam necessaria; circa quam actus sacrificatorius versetur, nequaquidlibet esse potest, sed res aliqua DEO digna, utpote cultui externo inserviens, & corruptibilis, & ejus destructione significatur, quod per sacrificiū intendimus. *Verbalis oblatio* materiæ ad rationem sacrificij absolute necessaria non est, ut rectè Suarez D. 72. sect. 31. quia nec levitici Sacerdotes, nec Christus ipse in cruce vel coena suum sacrificium peculiaribus verbis obtulisse leguntur. Licet igitur oblatio sit essentialis sacrificio, non tamen fieri debet per verba, & in actu signato, cum ipsamet actio sacrificativa sit in actu exercito quædam oblatio facile intelligibilis ex circumstantijs loci temporis modi &c. *Immutatio & destructio* est quoque necessaria, quia sine aliqua destructione non apparet, quænam peculiaris proportio sit potius in Sacrificio ad significanda ea, quæ per ipsum significari debent, quam in qualibet alia oblatione in recognitionem supremi dominij & excellentiæ divinæ facta; per destructionem autem artificialimè significantur, quæ per sacrificium significari oportet. Utramque destructio hæc physica esse debeat, aut moralis immutatio sufficiat, infra dicitur. *Significatio denique mystica* accedere debet, sine